
QVAESTIONES

MEDICAE, CVM CONCLVSIO-
nibus ac problematis annexis, Candidatis Docto-
ratus, pro insignibus doctoralibus in æde Pau-
lina, per D. Martinum à Drembach Me-
dicinæ Doctorem, eiusdemq; facul-
tatis Decanum, & promoto-
rem consequendis, de-
clarandæ & defen-
dendæ.

ANNO CHRISTI SALVATO-
ris nostri 1557. die 28. Aprilis.

Ecclesiastici 38.


Ἐτίς μὴ ἰατρὸς ἀνυψώσει κεφαλὴν
αὐτοῦ, καὶ ἔναντι μεγιστάνων θαυμασθήσεται.



W woluminie kolejno współoprawne sygnatury:

Odręczny spis tytułów

SD 4122 II
SD 4123 II
SD 4124 II
SD 4125 II
SD 4126 II
SD 4127 II
Inc. 331
SD 4129 II
SD 4130 II
SD 4131 II
SD 4132 II
SD 4133 II
SD 4134 II
SD 4135 II
SD 4136 II
SD 4137 II
SD 4138 II
SD 4139 II
SD 4140 II
SD 4141 II
SD 4142 II
SD 4143 II
SD 4144 II
SD 4145 II
SD 4146 II
SD 4147 II
SD 4148 II
SD 4149 II
SD 4150 II
SD 4151 II
SD 4152 II
SD 4153 II
SD 4154 II
SD 4155 II
SD 4156 II
SD 4157 II
SD 4158 II
SD 4159 II
SD 4160 II
SD 4161 II
SD 4162 II
Inc. 331 b
Rkp. XVI wiek




BIBLIOTEKA GŁÓWNA
UNIWERSYTETU im. A. MICKIEWICZA
W POZNANIU

In hoc libro contenta

1 Carmen p̄ Iuvenca mediana, & de peste, Gab: Ayala Port. G.
2 Pompeia epigon medica, eiusde, Antherpiae ao 62 L
3 Podagrae libri elegiaci p̄ Ecb: Hessu. Tlogishio, 51 C.
4 Febris dialogis Hutteniq, 14 breviadi Lilhoeq A.
5 In C Plinij l. 30 cap: 12. Tlagiae Apologia Trutenq. G
6 Matheoli tract de artificiali memoria. A
7 Ars memorandi Ge: Sibilij a poëmata alios A.
8 Vespertilio excusa p̄ Ioan Cornarium ao 45 Tiael in Tlorelio.
9 Nitea ac Brabyla p̄ Virg: excusa serenanda p̄ eid Aug. E
10 Ad illiberes calumnias Tuthi, rusio Egenolphi B.
11 Disputo de testium nia & mial seminis nia D. Roth a
12 Disp: Wenceslaj Baiery p̄ D. Roth. Afeil.
13 Disp: Henrici Skenerj, de morbo Gal.
14 Disputo D. Aurebachij de pleuritide &c. D
15 Disputonis diae D. Rotha p̄ Doctorandis aliqs.
16 Disp: D. Aurebachij, de Rbo Comitiali.
17 Disp: Caspi: Naeij de Phlebotomia. ao 48.
18 Disp: D. Tenchij, p̄ Reitzachero doctorando.
19 Disp: D. Menecij de asthmate, endente Pelio. ao 49. C
20 Disputo D. Roth cum Paracelsicis de Phlebotomia diei
21 Altercatio & purgatio Criminis D. Naeij, ao 51. C
22 Disp: de phlegmone, Hamilleij & Flacij.
23 De bolione & balneis D. Aurebachij & Tlagelbis E.

24 Disputata Jacobi Melichij q Peucero a Nathero.
25 Disp. P. Rolli q Bedino, Macholdo.
26. Disp: de causis febrium in genere, D. Clorinj.
27 Disp: P. Sim: Scherbij de Arthritide Medica.
28 De sang a pituita D. Peembork q 3 Doctore
29 D. Deembork q doct 30 Quaest medica D
31 De calore a spiritu natiuo disp Menceij a Steinmetz. C.
32 De anno a eius generibus D. Hofmann a Scherbij
33 De lacte disp: Pfeiferj a M. Barth. 34 Ecstasis Stracke
35 Memoria Hipp a Gal. D Deembach a M. Barth.
36 Regula medendi ratio D. Menceij. C.
37 Cur a principium cardinalium D. Tabij Regiomon. C.
38 Diuinatrices Apollinis natiue Dirae Lamiae Faiseuae
39 Origo a ea vetus q Bernhardi Lincelbergij
40 Cur Dy Pestilentij D. Henrici Stromeri 41 D. Kentmanij.
42 Von vngetzieferen. 43. Vom Vnrein Creatur
44 Facultas a mores mulieris carm. 45 Cathyges D. Pictorius E.

QVAESTIONES

MEDICAE, CVM CONCLVSIO-
nibus ac problematis annexis, Candidatis Docto-
ratus, pro insignibus doctoralibus in æde Pau-
lina, per D. Martinum à Drembach Me-
dicinæ Doctorem, eiusdemq; facul-
tatis Decanum, & promoto-
rem consequendis, de-
clarandæ & defen-
dendæ.

ANNO CHRISTI SALVATO-
ris nostri 1557. die 28. Aprilis.

Ecclesiastici 38.

Ἐπὶ σὺν μὴ ἰατροῦ ἀνυψώσει κεφαλὴν
αὐτοῦ, καὶ ἐναντι μεγιστάνων θαυμασθήσεται.

Νῦν μᾶλλ' ἄμμιν ἔγειρεν μυσῶν κατ' ἀριθμὸν ἰητροὺς
ἐννέα χλωροὶ πάντες τοῖς δῶκεν Ἀπόλλων
ἔμμεν' ἰητῆράς τε νόσων φύλακάς τ' ὑγιείης
ἠδ' ἀμέλεια τὸν ἄνδρα πανύστατον ἔξελεν ἀρτὶ
παμβδέλυξα ἀμέλεια, κακοῤῥαφίη τ' ἀλεγεινή
ὥστ' εἶναι μᾶλλ' ἄμεσον ἀριθμόν: καινὰ δὲ πάντα
ποιήσασα ῥυπόν τ' ἀπομάξαλο βαρβαρόφωνον
ἁρμονίην χαρίεσσα; προσερχόμεναι δ' ἅμα πολλῶν
μουσοπόλων ῥήσας μέζον εὐγράμμα ἀνέθηκεν
φεύγετε ὦ νόσοι δεινὸς χορὸς ὔμμε διώκει
τοῖσιν ἀκεσορίης τῆς θείας ἔργα μέμηλεν.

Ανδρ. Ελλιγ.

CLARISSIMIS VI-

RIS, ERVDITIONE ET VIRTV-

te præstantib. Doctoribus artis Medicæ, quibus decernitur honestissimus gradus Doctorum die 28. Aprilis, in inclyta Academia Lipsica, amicis suis.

S. D.

CLARISS. ET DOCTISS. viri, Scitis totam hanc rerum naturam & templum & theatrum esse dei, in quo ostendit testimonia de sese, de sua sapientia & bonitate illustria, & velle deum hæc testimonia aspici. Quare propter deum & propter sapientiæ & bonitatis diuinæ consyderationem & amo & veneror doctrinam Medicorum, quę naturam rerum ostendit. Vtilitas etiam rerum conditarum & artis testimoniũ est de prouidentia: Denicp multæ magnæ causæ sunt, propter quas & amanda est doctrina vestra & ordini honos debetur. Quare libenter ad vos accessissem: Sed me hoc tempore alia insuauia negotia retinent, inde vscp à Baltico littore allata. Animus autem vobiscum est, ac ardentia vota vobiscum facio, ut deus conditor vniuersæ naturæ regat & adiuuet medicationes vestras, & seruet has politias & honesta doctrinarum studia. Bene valete, die 27. Aprilis.

Philippus Melanth.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM ARTIS MEDIcæ, Martinus à Drempach art. & Medicinæ Doctor. Lectori S.

CVm cæterorum omnium de quibus sapienter ac prolixè disserit ars medica, nullum nec salubriter considerari neq; commode explicari queat, nisi prius naturam humani corporis tanquam subiecti ad quod cuncta in disputationibus medicis referri necesse est, exquisite cognoscamus, merito principem sibi in arte locum vendicant res naturales, sic dictæ, quod essentiam humani corporis constituant, totamq; ipsius structuram ac compagem absoluant. Sed proximè sequuntur res vulgo non naturales appellatæ, quæ vt doctrinæ ordine posteriores sunt, ita vi atq; vtilitate primis haud facilè cedunt. Nam neq; sanitas conseruari neq; morbus curari commodè potest, in neglectione earum rerum, quæ cum necessario tum perpetuo corpus nostrum alterant immutantq;. Siquidem vtrunq; sunt & conseruatrices & alteratrices causæ. Quo fit vt nisi dextrè adhibeantur, non modo sanitatem conturbent, sed prorsus etiam destruant ac corrumpãt. Contra eædem incolumen hanc præstent, si quo loco, quo tempore, quoq; modo adhibitæ, prosint, exploratũ sit itaq; vsurpentur. Itaq; visum fuit nobis hoc tempore summatim genera ipsa sex rerum non naturalium percurrere, atq; inde quæstiones excerpere, quas more veteri atq; vsitato, clarissimis viris D. Doctorandis publicè defendendas explicandasq; proponeremus. Quod qualecunq; fuerit, boni lector consulas rogo. Vale.

QVAESTIO I.

D. LICENCIATI AMBRO. sij Porstorffij.

REs non naturales, quæ scilicet corporum nostrorum constitutionem immutant: Si probe, vt necessitas exigit, & cum debita mensura ac qualitate conuenienti adhibeantur. Vtr. Merito ad eam medicinæ partem quæ sanitatem tuetur, & ob id ὑγιεινὴ Græcis est dicta, sint referendæ.

CONCLVSIO.

Cum in humano corpore quatuor sint humores vice quatuor elementorum, eorum excessus ad se inuicem si fuerit exiguus, intemperiem causat, sin magnus, morbum. Vbi uero multum exuperat, ad orcum deducit.

PROBLEMA.

An res non naturales ideo dicantur, quod corpori nostro sic aduersentur, vt in vniuersum temperamentum eius destruant, & in peius immutent.

QVAESTIO II.

D. LICENCIATI IOANNIS Hoffmanni.

AEr qui ambit corpora, et περιέχων à Grecis Vtr. appellatur, quique inspiratione & arte-

riarum motu attractus intra corpus, nobilissimas partes illius, videlicet vitales, animales & naturales spiritus, quorum est substantia ignea aèreaq́, cum fouendo conseruat, tum alterando mutat, sine cuius moderatione nec morbus tolli curando, neq; sanitas tuendo retineri potest.

Inter cæteras res, quæ non naturales perhibentur, principatum obtineat, ita vt perpetuo efficacia sua corpora afficiat, quæ nullo momento huius agitatione destituta, curari in vita possunt, eamq́ ob rem magis quàm alia vlla res ex rebus non naturalibus, mutare alterando statum corporis soleat.

CONCLVSIO.

Aër in primis tenuis est, & rarus, & ideo penetrabilis maxime & obnoxius mutationibus, quæ facilè & celeriter fiant. Cum autem proximè ambiens, in hæc semper implicetur, accidere necesse est, vt horum etiam substantiam reddat fluxam atq; caducam. Neque dubium est, quin ita afficiantur quoque tempore corpora, vt aër hæc ambiens fuerit affectus.

PROBLEMA.

Cur temperati habitus corpus, & bene educatum, & ideò validum, itemq́ id in quo meatus parum laxi sunt, aëris mutatione minus læditur atque conturbatur? cum aër inspiratione intra corpus acceptus, ob cutis densitatem minus facile expirando dissolui possit: eamq́ ob rem mutationis magis causa esse debere videatur.

Quæ-

QVAESTIO III.

D. LICENCIATI BERNHARDI Raſcheri Mulbergenſis.

TOta hominis moles, cum in perpetuo ſit fluore, nec vllum temporis reperiatur momentum, quo non in aërem ob continuam caloris actionem diffletur.

Vtr.

Breui interiret tempore, ni cibo & potione, id quod exhauſtum eſt, reſtitueretur.

CONCLVSIO.

Ad conſeruandam hominis ſubſtantiam & tuendam valetudinem, ratio victus ſit inter res non naturales præcipuum non habent locum, nec poſtremum obtinent, in qua non modo ciborum ſubſtantia & qualitas, ſed & menſura, aſſumendi tempus, ordo & conſuetudo ſunt conſyderanda.

PROBLEMA.

An melius & ſalubrius ſit, plus cibi matutinis horis quàm in cœna ſumere, nulla alia re cogente.

QVAESTIO IIII.

D. LICENCIATI MARCI Pfeifferi Lipſici.

Gen-

GEnera excercitiorum, quæ sub motu comprehenduntur, vtputa saltus, cursus, iactatio, equitatio, gestatio, & quæ sunt reliqua. Si recte ijs vtamur, pro præcipua sanitatis cura habenda sint.

Vtr.

CONCLVSIO.

Vt ad sanitatem tuendam maximi momenti exercitium ante cibum habetur, ita pernicioſiſs. res est à cibo vehemens commotio. Nam exercitatio non conducit, nisi quis se ad eam rectè accommodauerit, eaq; legitimo tempore vtatur, ac mediocritatem, vt Hippocrates ait, obtineat.

PROBLEMA.

Cur exercitationum qualitas corpus ita immutet, vt ipsum musculosum compactum reddat languidum, è diuerso planè emolliat.

QVAESTIO V.

D. LICENCIATI GREGORII Zechendorferi Lesnicensis.

SPiritus resoluti, per somnum regenerentur, cum somnus nihil aliud sit, quàm cum priua

Vtr.

tione sensus & motus, aliarumq; facultatum quies, vt calor & humiditas radicalis in eo conseruetur & augeatur.

CONCLVSIO.

Quemadmodum multæ vigiliæ humores crudos & incoctos reddunt, sic somnus immoderatus nocumenta

cumenta non multum dissimilia inducit. Atq; vt somnus illico à cibo sumto, sensibus, neruis & capiti obest, ac multarum ægritudinum occasio existit, sic ventriculo multum inanito ipsum malis humoribus replet, corpusq; extenuat.

PROBLEMA.

Cur qui ad noctem multum ingerunt, & ventriculum cibo & potu nimis onerant, nec dormire sæpius recte, nec probè concoquere queant.



QVAESTIO VI.

D. LICENCIATI IOANNIS Macholdi, Euderſdorffij.

Vtrum ocium & quies si modum excedunt, semper cruditatis ac vitiosorum humorum causæ sint, cum in omni corporis motu vbi fatigari cæperit, quietem vt lassitudinis remediũ Hippocrates confestim producit.

CONCLVSIO.

Qui sanitatis studio tenetur, is immodicum ocium & quietem, non minus quàm pestem ipsam fugiat. Nam non modo sanitati plurimum officit, sed & animi torporem (vt poëtis grauissimis etiam notum) præter opinionem grauiter inducit.

PROBLEMA.

An quies & ocium mediocre & suo opportuno tempore, veram rationem ad conseruandam valetudinem obtineat.

QVAESTIO VII.

D. LICENCIATI MATTHAEI Heusleri Iauorani.

NVm quæuis repletio & redundantia humorum immoderata siue ea ad vires referatur, ex qualitate cibi, quam virtus concoquere valeat, siue ad vasa, cum humorum copia, atque exuperantia venas distendit.

Deterior immoderata inanitione esse possit?

CONCLVSIO.

Quamuis neque repleri supra modum, neque euacuari, sine periculo sit, nimia tamen vel alimenti vel humorum repletio, quam ex crudítate grauitas corporis comitatur, aut tensio, non semper deterior est inanitione, dum virtus & naturalis calor sibi constet. Extrema autem inanitio, magis quàm summa repletio vires deijcit, & cum periculo est.

PROBLEMA.

An potius adiectioni in victu, quàm subtractioni, tam in ægris quàm sanis, indulgendum sit? cum tamen multi contrarium magis probent.

QVAEST. VIII.

D. LICENCIATI MATTHAEI Flacci Cycnei.

Vtr.

IN ardentissimis febribus phlegmonis & doloribus vehementissimis obseruata virium
Vtr. firmitudine & robore.

Sanguis ad animi etiam vsque deliquium cum magno ægrotantium commodo rectissime educi possit?

CONCLVSIO.

Sicut purgantium medicamentorum vsus nullus esse debet in non indigentibus & sanis: cum sanguinem & carnes colliquet, vires dissoluat, corpus ad tabem perducat. Ita in ijs, qui corpus vitiosis succis refertum habent, necessarius est, præsertim ex longis interuallis & per propriam sibi à natura ordinatam viam.

PROBLEMA.

Cur minus adolescentes, omnium minime pueri, præsertim qui ex ipsis sunt viuidiores, inediam ferre possint?

QVAESTIO IX.

D. LICENCIATI ANDREAE Ellingeri Orlæmontani.

ANimi perturbationes quę nihil aliud sunt, quàm turbidi ipsius concitatiq; ac velut auersi à recta ratione motus.

Vtr. Tam potentes esse possint, vt laborantibus suc

currant sæpe morbosq; depellant, vel contrà grauiores accendant, suaq; vi & incitatione homines de sanitate & mente deturbent.

CONCLVSIO.

Magnopere interest medici, accuratè cognoscere, diligenterq; consyderare animi perturbationes, quod earum vis tanta sit, vt non modo alterent & quoquo modo afficiant corpus humanum, sed penitus etiam à naturali constitutione, cum vehementiores extiterint, euertant. Nam quod in timore apparet, non modo pallidum ex animi affectu corpus redditur, atq; inalgescit tremoremq; patitur, sed & vox interdum & spiritus intercipitur, vires denicq; omnes conuelluntur. In excandescentia vero, quoniam ingens vis spirituum & sanguinis in exteriora diffunditur, fit, vt & facies infletur, & totum rubescat incalescatq; corpus, corq; ipsum cum omnibus arterijs vehementer palpitet atq; saliat. Adeò nec vultus nec sermo nec color manet idem in perturbatis, sed totum de repente corpus in alium quasi habitum transformatur.

PROBLEMA.

Quid causæ sit, cur nonnulli ob vehementem animi mæstitiam, nimiumq; timorem vnica interdum nocte notabiliter canescant.

CAR-

CARMINA DIVERSI GENERIS PRONVNCIAta, consuetudine Academiæ Lipsensis, à pueris gratulantibus incrementum honoris & dignitatis nouis Doctoribus.

CARMEN GRATVLATORIVM ad D. Ambrosium Porstorfferum.

PLaudite nunc studiosa cohors assurgite eunti
Mox, & Apollineas dicite adesse Deas.
Carmine lætemur, cithara fidibusq; sonoris,
Doctori carmen, pandite dulce nouo.
Omnes Musarum qui culto pectore dotes
Hausit, & à puero discere cura fuit.
Vicit & omnigenos infracta mente labores,
Nec piguit curæ, tædia multa pati.
Talia complexus primis documenta sub annis,
Culmina mox certo tendit ad alta gradu.
Verus & humani generis seruator Apollo,
Nil medicâ melius præstitit arte Deus.
Ista tuo placuit diuina scientia cordi,
Vt cunctis addas pharmaca docta malis.
Pergito Pæoniis nunc tradere pharmaca succis,
Perge salutifera pocula ferre manu.
Faxit cœlestis medicinæ inuentor Apollo,
Talia succedant prospera cæpta tibi.

CARMEN GRATVLATORIVM ad D. Ioannem Hoffmannum.

Multis propitius vitam hominum Deus,
In terris fragilem fulcijt artibus,
Præbens munera largæ
Præclarissima dexteræ:
Inter quas Medicinæ merito damus
Primas, arbitrio corpora quæ suo
Cura sana fideli
Seruat, languida recreans.
Morbos illa fugat sæuaq; febrium
Hæc incendia restinguit, & vnica
Non vitabile mortis
Differt impediens malum.
Quàm, clarissimè vir, cum tua perficit
Virtus ingenij, per studiorum iter
Duro ingressa labore
Scandens propositos gradus:
Et præstantibus augeris honoribus,
Et rarum, hoc patriæ concilias decus,
Et spem ciuibus addis
Vitę à te stabilis nouam.
Ac te vox celebrat nunc tenuis mea.
At iam deinde manet gloria plenior,
Et laudem cumulabunt
Res quas ipse geres, tuam.

CARMEN GRATVLATORIVM ad D. Bernhardum Rascherum.

Sunt artes clarium duæ vetustas
Quarum autorem ait esse numen vna.
Cuius carmen opus fidesq;, & omnis
Vatum est æthere defluens facultas:

Aegro-

Aegroto altera corpori medetur,
Vitam & prorogat impeditq; mortem.
In quas cum studium dedisti vtrasq;,
Raschere, ingenui diu laboris.
Et nunc præmia digna conferuntur,
Et laudem pueri tibi ore Musa
Qualemcunq; canit, sed hanc honorum
Reddet fama dehinc celebriorem.

CARMEN GRATVLATORIVM ad D. Marcum Pfeifferum.

O mihi vires superent Maronis,
Vt tuas possim celebrare laudes,
Et bono summum Medicum sub astra
Tollere versu.
Nunc puer carmen puerile cantans
Gratulor summam tibi dignitatem,
Quam sui cedit studijs alumni
Phœbus Apollo.
O bonus dextram medicam gubernet
Vt tuis fœlix medearis ægris,
Copiæ & cornu redimat laborem
Artis Apollo.

CARMEN GRATVLATORIVM ad D. Gregorium Zechendorffium.

Non Phœbum tibi, Doctor, aut Mineruam
Opto propitiam, nec Aesculapij
Fortunam tenui fauore partam,
Absint iam veterum precationes

Quin

Quin ſummum potius vagæ parentem
Naturæ, generi piam caduco
Qui donat Medici laboris artem,
Opto propitium tibi per omnem
Vitam, qui manibus tuis perennem
Fortunam tribuat, tuumq; regat
Curſum, ſic generi perenne tandem
Zechendorfiaco decus parabis.

CARMEN GRATVLATORIVM ad D. Ioannem Macholdum.

Nunc in Parnaſo videor mihi ſtare virenti,
Atq; chorum Phœbi ſpectare nouemq; ſororum.
Tam bene conueniunt hic omnia ſiue medendi
In Phœbo ſpectes artem, numerumue dearum.
Siue locum pietate parem ſuperisq; ſacratum
Omnia conueniunt, Phœbi ſunt omnia plena.
Nam veluti Phœbus ſolio venerabilis alto,
Præſidet in circo poſitis ex ordine muſis:
Inſtituens variis nunc his nunc artibus illis,
Demonſtransq; herbas & earum nobile munus:
Quid noceant uel quid proſint mortalibus ægris:
Sic quoq; magnificum nunc cernimus ire Decanũ
Et iunctos tot habere viros, quot Apollo ſorores,
Hos etiam variis inſtructos artibus omnes,
Inprimis medica morborum mille magiſtra,
Ornabit lauro, quam commeruere frequenti
Conatu medicam diſcendi fortiter artem.
Feſta ſit hæc toti modo lux Hęlicôni, ſuæq;
Præſenti Phœbus lætetur imagine turbæ.

Carmen

CARMEN GRATVLATORIVM ad D. Matthæum Heuslerum.

Qua dignus fueras olim florente iuuenta,
Laurea nunc capiti circundatur inclyta cano
Heuslere, o specimen docti memorabile cœtus.
Cui rerum natura parens abstrusa reuelat
Corporis humani, & liquido internoscere sensu
Singula dat, quem Phœbus amat, Graiæq; Camę
Sublimem vexere sui super ardua montis. (næ
Non si Mæonio fluerent mihi labra liquore,
Castalioq; omnis consperſus rore maderem,
Tot possem tenui laudes pertexere versu
Quot tua vel meruit virtus, doctrina vel ampla
Poscit, maturos tibi nunc gratamur honores,
Ingenui pueri tua quondam cura decusq;.
Sis fœlix, partoq; fruaris dives honore.

CARMEN GRATVLATORIVM ad D. Matthæum Flaccum.

Cursorem meritis auxit honoribus
Si gens Graiugenum corpore qui modò
Contendens alijs mobilior pede,
In certaminibus vicit Olympijs.
Quanto tu magis his dignus honoribus,
Et mitra rubea Flacce putandus es,
Artis Pæoniæ qui stadia ardua
Confecisti alacris viribus ingeni?
Salue artis medicæ præcipuum decus,
Aegrorum facilis spes, hominum salus.
Optamus tibi sint omnia prospera,
Vt multos reuoces Doctor ab inferis.

CARMEN GRATVLATORIVM
ad D. Andream Ellingerum.

Præclaras alij tuas celebrent
Laudes, teq; canant fauente Phœbo.
Phœbeæ decus artis, hunc laborem
Vires ferre meæ nimis recusant.
Quod possum facio: nouiq; honoris
Splendorem tibi gratulor perennem.
Quo virtus tua pectus eruditum
Ornatur, medicum præcorq; Christum
Quam tractas, medicam gubernet artem,
Fortunetq; bonis tuos honores.

ENCOMIVM
MEDICINAE, ET GRATVLATIO
scripta in laudem clarissimorum, sapientia ac virtute virorum, quib. in facultate medica summi hodierna die honores offeruntur.

PHœbe nouenarum dux olim culte sororum,
Ipse tuis præsens sacris, tua sacra canenti
Sis facilis, quia cepta tui sunt ista fauoris,
Multa tibi medicus debet, tibi plurima vates.
Inuentum medicina tuum, tu carminis autor,
Diuersum genus est, sed fontibus exit ab ijsdem.
Dum loquor, Aonidum præses comitante Dearũ
Agmine Phœbus adest, propriosq; secundat honores.
Ornat honorandos vitta lauroq; virenti.
Cognitio paritur medicam preciosa per artem,
Commoda

Commoda seu spectes, seu te mouet vlla voluptas,
Vtilius nihil est, nihil est iucundius illa.
Si furor iste placet, medicinam tolle salubrem,
Omnia sustuleris fragilem seruantia vitam
Præsidia, & quidquid validum fuit ante per illam,
Corruet, & medico non damna leuante peribit.
Diuitias & opes multis fortuna ministrat,
Quidquid & humanis est admirabile rebus:
Quid tibi Persarum montes, quid regia Cræsi
Profuerit, sano nisi mens sit corpore sana?
Non leue laudis opus, certis rationibus orbem
Metiri, aut amplæ scrutari viscera matris:
Felices illi, qui mente per astra volarunt,
Ingenioq; suo cœlorum sidere pictos
Supposuere globos, longi monumenta laboris:
Plus medicus præstat, reliquis plus ille laborat,
Qui causas rerum tacitas rimatur, & antris
Sepositi furtim quidquid natura, recludit.
Quid? si parua licet rectè componere magnis:
Effectu medicina Deo vel sola potenti
Proxima, diuinæ meruit præconia laudis.
Vt Deus inspirat vitam, rursumq; necatis
Subtrahit, ablatæ reddit spiracula vitæ:
Sic medicus si mente bonus, longaq; peritus
Arte sit, hanc tenui nouit radice tueri.
Aspice morborum varias ab origine formas,
Exitium multi præsens minitantur in ipso
Tempore, Pœoniam medico tardante salutem.
Sæpe quis elisus neruis sua membra solutis
Ante mori, vitam quam degere maluit ægram:
Sæpe tamen neruis restrinxit membra coactis,
Reddidit & gratam medicus cum fœnore vitam.

Vidi ego turgentes humore rubescere venas,
Peste cor exuri, cerebrum languere veneno:
Auxilium medicina tulit. Non fallere nouit
Illa, Deo medijs successus dante secundos.
Quis neget ante diem, multos obijsse supremum
Sæpe diem, morbi quia non habuere medelam?
Quis nescit multos inter distenta parentum
Viscera torqueri, nec viuos ire sub auras
Posse, quod hoc careant studio curaq; leuandi?
Scilicet egregias industria repperit artes,
Vita quibus non semper eget, sed sæpius harum
Vsus, & interdum reuerentia vilis habetur.
Nunquam spreta iacet, semper medicina laborat,
Corporis illa leuat, mentis leuat illa dolores,
Externis vires, internis illa vigorem
Restituit, veterisq; premit contagia pestis.
Si fas est nullo subiectum fingere morbo,
Fingito cui cœlum nil triste minetur ab astris.
Cui Venus in tristi morborum sede, benignos
Vtiliter primum nascenti præbuit ignes.
Iuncta salutifero vel mox coitura parenti,
Marte tamen radios non obijciente micantes
Saturno gelido, diro mortalibus hosti.
Quid tandem fiet, nisi prouida cura fidelis
Prospiciet medici, quæ nutrimenta coacto
Cõmoda sintstomacho, quę sint minus apta fluenti?
Vsq; adeo medicina valet, sanosq; tuetur,
Ne malè tentet eos morborum inopia propago.
» Corporis humani iactura facillima puncto
» Quolibet esse potest. Quid homo nisi debile vas
» Ille vbi prima videt fragilis vix lumina vitę, (est?
» Perpetui mundum subit hospita tecta doloris,

Fataq;

» Fataq; prospiciens miserandum ab origine finem
» Deplorat, mediisq; annis cadit inter honores.
Plus ope mortales igitur nullius egemus
Artis in hac vita, quam quæ languentia tabe
Corpora restituit curando, libera morbis
Conseruat, signoq; malum præeunte futurum
Prospicit, ac medica solers intercipit herba.
Ergo pijs studium merito conatibus horum
Iudico laudari, communis publica vitæ.
Quos mouet vtilitas caput hanc efferre per artem,
Illa nec exiguo sudore scientia constat.
Nocturnis opus est curis, animiq; vigore,
Tempore deficiunt tantum diuturna laborem.
Vos testes estote mei, lectissima corda,
Dicite, nunquid adhæc graduum fastigia summa
Scandere concessum sit amica per ocia pigris?
Non ita, sed magni vos præmia tanta laboris
Ferre decet, quis enim frustra sine laude laboret?
Gratulor hunc igitur vobis ego lætus honorem.
Sit sine nube dies, faueat placabile cœlum,
Iubilet, & placido producat sydera vultu.
Vtraq; promittat medicos Fortuna salubres,
Si locus est votis, apto quoq; limine Martem
Optarim Veneri iunctum, felicia natis
Omina successus habituris sæpe secundos.
Quid tamen hæc obstat, vel & his meliora precari?
Ite viri vestros ad honores, ite frequentes.
Sic etiam Phœbus graditur comitante sororum,
Agmine conscendens herbosa cacumina montis
Siue Palatini, seu Cynthi vertice summo,
Siluarum arboreos tollentis ad ætheratruncos.
Pars præit & Domino parat officiosa viarum

Difficiles aditus, iter impenetrabile tardis
Pars sequitur, sacriq; notat vestigia gressus,
Vranie semper lateri properantis inhæret
Ipse pater medius procedit, & eruit herbas,
Dictamnum inquirens caprearum vulnere notum.
Sic igitur graditur Phœbus comitante sororum
Prole nouenarum, veluti nunc ire videmus
Arte viros medica claros, vsuq; peritos
Artis, in hac meriti quibus assignantur honores.
Forsan Elistrinas hospes successit ad vndas
Phœbus & eduxit Musas Helicone relicto.
Omen habet numerus, series, & forma decoræ
Conueniens pompæ, nec coniectura laborat
Illa, sed aut veri species vel imago futuri
Esse potest, tacito non hæc sine numine fiunt.

Iacobus Strasburgus
Fribergius.

CARMEN ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ, IN GRATIAM EOrum, quibus summi in arte medica gradus insignia hodie conferuntur.

LVx erat, & roseo sol effulgebat Eoo,
Castalium subij cum velut ante nemus.
Ecce Caballini fontis dum molior haustum,
Mirus Apollinea clangor ab æde venit.
Territus in varias circumfero lumina partes,
Scire volens subiti quæ sit origo soni,

In

In iuga Parnasi celeri pede ducor & omnem
Lustro locum, totus mons salit, aura fremit.
Causa patet: uideo cœtu feruere sorores,
Et celebrare suo candida festa duci.
Insuper & magnis ostendere præmia pompis,
Præmia doctorum quę diadema refert.
Dum iuuor aspectu musarum, & miror honores,
Et quibus hi cedant, quæro requiro viros.
Eximio cultu prodit præfulgida Pallas,
Et gerit ornata laurea serta manu.
His alijsq; datis medicinæ insignibus ornat,
Quotquot inæquali fert via ponè loco.
Rebene transacta modulatur Apollo sequutus,
Et mouet argutæ fila sonora lyræ.
Hinc noua magnificis doctorum nomina votis
Fert, cupiens notum Pæonis esse decus.

Viuat in ęternum Ambrosius PORSTORFER,
Summa facultati fama futura suæ. (& extet
Clareat & toto fiat memorabilis æuo,
Innumerabilium fusus in ora virûm.
Eius id ingenium præclaris dotibus auctum
Poscit, & excultæ splendidus artis honor.
Poscit & eximia splendescens indole virtus,
Certaq; non paucis notificata fides.
Consilio hic cautus fœdi contagia morbi
Sistit, & à sana parte reuulsa fugat.
Huius & omne Deo studium curamq; iuuandis
Præstat in ægrotis, officiosa fides.

Clarus IOANNES HALOANDER gloria ter
Franco suæ, Pylij sæcula sospes agat. (ræ
Semper

Semper honorandum & ſemper laudabile nomen,
Optimus & celebris Practicus inde ferat.
In bene curatis eius fortuna meretur,
Quæ venit à ſolo, ſola petenda Deo.
Magnaq; conſenſu doctrina probata bonorum,
Cuius agi teſtis culta iuuenta poteſt.
Tum graue iudicium in morbis cauſisq; repertis,
Vnde ſibi allatam ſæpe ſcit æger opem.
Sed vir hic vt multis ſubuenit pluribus adſit,
Et ſibi conciliet quemq; fauore ſuo.

In ſua Bernhardus RASCHERVS proſpera fata
Sentiat illæſa currere fila colo.
Sentiat & laudum titulis inſignibus auctum
Se, genericq; ſuo dulce venire decus.
Sentiat & patriam Mulbergæ voce vocatam,
Clarius ex opera nomen habere ſua.
Chemnitio quantum ſuccurrerit omnibus vno
Ore feret, tantæ nuncia fama rei.
Callet & humanum transfert ſapienter in vſum,
Quicquid in herbarum cognitione latet.
Dote valens animi medica præclarus & arte,
Innumeros mortem labe minante leuat.

Tutus ab inuidia MARCVS PFEIFFERVS a-
Splendor, inextincto ventilet igne facem. (uorũ
Seq; ſuæ domui magis admirabile lumen
Inferat, illuſtrans nobile ſtemma patrum,
Fama ſuæ patriæ clareſcat Lipſidos vrbis,
Non patitur fatis inclyta fama premi.
Cernitur ars huius ſi quando ſcindere corpus
Iuſſus, & affectos quosq; notare locos.

Simpli-

Simplicium vires exactè nouit, & ipsa
Nomina, quæ variè dorica lingua refert,
Ipse sua facilis natura amplectitur omnes,
Quaq; potest docta sedulitate fouet.

Incolumis superet ZECHENDORFERVS in (æuum
Fataq; dignetur spe meliora sequi.
Floreat & fructu studiorum lætus amœno,
Amplificet titulis seq; suumq; genus.
Indubitata suæ natalis buccina terræ
Perstet, vt ingenti Lesnia laude sonet,
Cuius is est medicus Mariæ montem omine fausto
Audiat in laudes plaudere sæpè suas.
Ex merito fiet, meritis sua præmia cedunt,
Absq; suo precio non labor esse potest.
Ingenio pollet, medicinæ maximus vsu
Non pepulisse malum deputat esse nefas.
Longa tuę vitæ pars IAN MACHOLDE super- (sit,
Dentur & effectu vota potita suo.
Dignus vbiq; cani doctrina, & vbiq; referri,
In tua doctiloquus iubila quisq; iuuet.
Te puerum à teneris nostris ornauit in antris
Pieris, & magnum reddidit arte virum.
Iure tuæ referens præconia multa Magistræ,
Fac tua sint omni pectora grata die.
Iussus adesse leua morbi genus oppido egenti,
Dimidia cuius nomen ab vrbe cadit.
Sic sine labe decus, sic nomen habebis honestum,
Sic tua non vllo tempore fama cadet.
Obona, MATTHAEus, bene procedentib. astris
HEVSLERVS vitæ tempora longa gerat.

Vtq; diu fauſtè & benè vixerit, amplius optet
Viuere nec mixto tædia felle trahat.
Non ſatis eſſe putat didiciſſe Machaonis artes,
Sed ſatis, his alios erudiſſe rudes.
Iaurano exultat Lipſenſis Eliſter alumno,
Axius vt lætum Pæone flumen erat.
Illius in primis celebrat clariſsima laudem,
Ars quæ qua ſita ſint parte, ſecando docet.
Adſit in hoc aliquid ſi quis deſiderat, adſit,
Et minus huic artis dicat ineſſe viro.

Non habiles numero MATTHAEus FLACcus
Pergat, Olympiaco numine dante viã. (in annos
Prona ſuis videat fœliciter omnia votis,
Et cadere optatæ ſpe meliora rei.
Congerat in patriam multæ præconia laudis,
Cuius ab albenti nomen olore venit.
Et faciat propriam ſimul innotẽſcere gentem
Omnibus, vnde ſuum viuere dulce tulit.
Dignus enim lætis fortunæ vultibus vti,
Helladis & Tybris ſuſtulit amne ſitim.
Cui minor vrſa ſuo fecit de nomine nomen,
Subueniens vrbi commoda mille ferat.

Vltimus ANDREAS ſed non tamen vltimus arte
ELLINGERVS, ouans ſæcula mille terat.
Vtq; nitet florens iuuenilibus integer annis,
Virtutis niteat ſic quoq; flore ſenex.
Huic patria eſt ſumma qua ciuis deſpicit arce
Oſtia piſcoſis Aureliana vadis.
Clarus & illuſtris qua iuſſa Doringia fines
Claudere, Chironis magnificetur ope.

Hic

Hic quoq; blandíloqui ſudauit ad Hellínís vndam,
Et riguum pleno flumine pectus habet.
Hunc quoq; non leuium tenet experientia rerum,
Nec latet herbarum vis nec amicus odor.

Sic decorare meos ſic compenſare laborem
Prædícor, ignauis gloria nulla venit.
Non vt quiſq; loco prior eſt ita maior & arte,
Sunt virtute pares, ſunt & honore pares.
Qui meruit dici præſtanti ab Achille ſecundus,
Conſtitit extremo non minus ille loco.
Sic neq; Calliope prælato inuidit honori,
Vltima Pierij Calliopæa chori.

Finis erat dictis plauſum fecêre ſorores,
Carmine teſtatæ digna relata viris.
Conditus occulto ſeceſſu hederiſq; virenti
Montis, ego lætè conſpicor iſta geri.
Iſta geri tacitus vidi ſed uiſa tacere
Non potui, nimium ne tacuiſſe puter.
Nemo ſilenda putet Pataræi præſidis acta,
Diſcat & exemplo commemorare meo.
Quod ſupereſt meritos lætí capiatis honores
O Phœbi & clarij turba miniſtra chori.
Viuite doctores Medicinæ viuite lætí,
Et pia Mathuſalæ vincite fata ſenis.

Petrus Enidorus,
Delitianus.

CARMEN ΕΓ/

ΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ EORVM, QVI DOctoratus insignibus ornabuntur.

SAncte tuis studio doctrinam Phœbe professis
Dexter ades, sancta hæc dum tibi templa pa-
Ducito conantem per laudes ire virorum, (tent.
Quos statuet celso hic culta Cathedra loco.
Non mihi materiam rerum quas carmine tractem
At subdi vires, ingeniumq; peto:
Vt quibus in vasto rapior velut æquore laudum
Flatibus, adducto carbasa fune legam.
Ordinis ergo mihi dux sis & Rector Apollo,
Nequis per præceps me vagus error agat.
Hic tuus est actus, tibi decernuntur honores,
Qui dantur claris per tua castra viris.
Te quoq; da quæso mihi, qui legis ista, benignum,
Ingenium vultu statq; caditq; tuo,
Sic ego discussa trepidæ formidine mentis,
Liberiore istos proloquar ore sonos.

Phœbus.

Quod petis efficiam, nec concepisse pigebit
Te vanas ad me, dulcis Alumne, preces.
Id pietas poscit, ne desim laudibus horum,
Multa quibus de me castaq; cura fuit.
Hæc mea militia est, studijs sum deditus istis,
Vt bene promeritis sit decus inde viris.
Cuius vt exemplum coram nunc omnibus ædam,
Testatum indicio carminis huius erit.

Quod

Quod tibi sufficient charæ, mea gaudia, Musæ,
Illarum vt possis æmula verba sequi.
Quæ si forte tuum superabunt vndiq; captum,
At numeros saltem fac meminisse velis.

Musæ.

Saluete insignes animo & virtute celebres,
Ponendi summo nunc in honore viri.
Saluete ô medici decora admiranda Lycæi,
Et nostri passim gloria magna Chori.
Saluete herbarum quas profert terra periti,
Instructi linguis, vsibus, arte, fide.
Sumite multorum nunc præmia digna laborum,
Hæc est sollicito corde petita dies.
Quod si operas charę placet hinc conferre Sorores,
Sit iam nos inter mutuus iste labor.
Vna in quæq; sua hunc & carmina conferat actum
Sic meriti nobis gratia maior erit.
Tuq; prior Clio, quàm cætera turba sequatur,
Dulcia per gratum labra resolue melos.

Clio.

Clare vir Ambrosie, ô qui primus in ordine prodis,
Laurea depexis accipe serta comis.
Quæ tibi chara soror Phœbi contexuit, vt sis
Totius ex illis posteritatis honor.

Euterpe.

Sis fœlix Hofmanne, tuamq; industrius artem,
Exere, quàm multum promtus Apollo iuuat.
Multa diu passus, satis ista superq; reponis,
Dum summum optato scandis honore gradum.

Thalia.

Nec Bernharde tuæ sunt parua Encomia famæ
Maior at ex titulo nunc tibi surget honor.

Cuius vt illustres omni ratione studebis,
Atq; tuum referas in genus omne decus.

Melpomene.

Marce Macer fueris, si qua iam diceris vti
Herbarum vires sedulitate coles.
Inuenies summi quo te super æthera tollas,
Nominis, & multæ spem preciumq; rei.

Terpsichore.

Perge quod es, Medicus posthac bonus esse, Geor-
Atq; tuis sanam ciuibus affer opem. (gi
Sic decus adscisces tibi, quod violare vetustas,
Aut odij nunquam vis inimica queat.

Erato.

Te quoq; Macholdum complectitur æquus Apollo,
Omnibus instructum quæ bona cura facit.
Quæ propter magno veneratus semper amore
Saxonibus, summæ nomina laudis habes.

Polymnia.

Quid referam Heuslerum? quo non præstantior al-
Corporis artifici membra secare manu. (ter,
Cuius in hæc nequeunt arctari carmina laudes,
Quas pleni codices & monumenta dabunt.

Vrania.

Flacce tuis etiam præsto sunt serta capillis,
Quæ Phœbi possent molle decere caput.
Non te Romanæ, graiæue scientia linguæ,
Aut apud ægrotos prouida cura fugit.

Calliope.

Tu quoq; decretos Andrea sumis honores,
Qui quantum numero cedis, es arte prior.
In quo num physici, mediciue peritia maior
Sit studij, certo lis ea teste caret.

Apollo

Apollo.

Desinat in vobis cessetq; poëma sorores,
Vt vestrum plenus finiat ordo chorum:
Et longum valeant, medicaq; salubriter arte
Vtantur, quibus hæc sunt data iura, viri.
Sint cauti, & multa secum ratione volutent,
Aegrotis vera qua medeantur ope.
Non sint præcipites, sed per sua signa requirant
Morborum causas, auxiliumq; ferant.
Hoc pacto celebres priscosq; Machaonas inter
Adsciti, è terris regna beata petent.

Guilhelmus Cleuenus
Cellensis.

FOrtunet medicationis artem
Non Asclepius aut Apollo Diui.
Nec frater Podalyrij Machaon,
Herbarumúe sciens Achillis altor:
Sed rerum sator vnicus globosam
Mundi qui regit vniuersitatem.
A quo omnis sapientia est, & omnis
Manat vita salus salubritasq;.

Andreas Ellinger.

FINIS.

Iacobus Beruualdus excudebat.





